



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ad Leonem X. Pontificem Maximvm

[Straßburg], 1519

VD16 L 3409

Primvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34717

M. L. SERMO DE VIR

prophetis contigisse scirem, iam dudum desperans, silentium esse sem. Nunc uero cum urgeat officij mei necessitas, eo nitior, quod magis obediendum est deo, quam hominibus, paratissimus officium & titulum docendi relinquere, si ita placet maioribus Ecclesiae, id est, Christo. Sin retinendum est, dent ueniam & boni consulant, qui uolent. Mei studij erit, omnibus uiribus sudare, ut Christus, Christum, Christo nunciet, & audiat. Hac commemoro, pie mi lector, quod Sermonem quendam de excommunicatione, feci ad populum Wittenbergensem, cuius ut ego prope sum oblitus, ita aduersarij miseri, sunt plusquam oportet, memores, interpretesque rigidissimi, ne dicam iniquissimi. Dabo itaque operam, quantum sufficit memoria, ut sententia, si non uerba totius sermonis, omnia in publicum exponam, ut probem, ea me docuisse, quorum neque me poenitet at tractatorem, neque pium auditorem. Quid autem amici mei paraphrasi, aut pseudophrasi sua fecerint, aut faciant, det dominus, ut aliquando uideant & ipsi, Amen, Vale.

*reuerentissimus
Martinus Lutherus*

REVERENDI PA

TRIS AC S. THEOLOGIAE DOCTORIS
Martini Lutherij de uirtute excommunicationis Sermo.



Ebitum uobis sermonem totiesque promissum, tandem aliquando persoluo, hoc est, de uirtute excommunicationis hodie dicendum est, quod ut planissime intelligatis, distincte procedam.

PRIMUM.

Videndum, quid sit excommunicatio Ecclesiae, Et quantum uis uocabuli ualeat. Excommunicatio nihil est aliud quam priuatio communionis, & extra communionem fidelium positio. Est autem fidelium communio duplex, Una interna & spiritualis, alia exter

TUTE EXCOMMUNICATIONIS.

na & corporalis. Spiritualis est, una fides, spes, charitas in deum. Corporalis est, participatio eorundem sacramentorum, id est, signorum fidei, spei, charitatis, quæ tamen ulterius extenditur usque ad communionem rerum, usus, colloquii, habitationis, aliarumque corporalium conuersationum.

Igitur sicut priore illa spiritali cõione, nulla creatura potest animam uel cõicare, uel excõicatam reconciliare, nisi deus solus. Ita non potest communionem eandem ulla creatura ei auferre, seu eam excõicare, nisi solus ipse homo, per peccatum proprium.

Hæc sententia satis patet, quia fidem, spem, charitatem, nulla creatura potest conferre, uel auferre, iuxta illud Rhom. viij. Quis separabit nos a charitate dei? Et infra, Certus sum, quod nec mors, nec uita, nec angeli, nec principatus, nec uirtutes, nec instantia, nec futura, nec fortitudo, nec altitudo, nec profundum, nec alia creatura poterit nos separare a charitate dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Et i. Pe. iij. Et quis qui uobis noceat, si boni æmulatores fueritis.

SECUNDUM.

Consequens ergo est, quod excõmunicatio Ecclesiastica, est duntaxat externæ priuatio cõmunionis, scilicet sacramentorum, funeris sepulturæ, publicæ orationis, deinde aliarum (ut dictum est) corporalis necessitatis rerum & conuersationum. Hæc enim sententia nota est, sic & Paulus i. Corin. v. scribit, Ut non cõmiscantur, nec cibum sumant cum eo, qui noxiatur inter eos fornicator, maledicus, ebriosus, rapax &c. Et ij. Thessal. iij. Si quis non obedierit uerbo nostro per epistolam hanc, notate, & non cõmiscamini cum illo, ut confundat. Sequitur, Et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite, ut fratrem. Hæc si non de excõmunicatione externa, salua interna cõmunionem dicta sunt, fateor me non intelligere Apostolum Paulum. Et Ioannes epistola secunda, Si quis uenit ad uos, & non affert doctrinam hanc, nolite eum in domum recipere, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi aue, cõicatur operibus eius malignis.